

Regni, per eosdem Status ac Ordines publice confecta, data et assignata est. Habebunt autem iidem Domini Plenipotentiarij ex aerario Regni pro expensis Mille florenos hungaricales; et si quid ultra exposuerint, eisdem refundetur.

Confirmatur et renouatur Articulus praecedentis Congregationis, de generali Insurrectione, penes Banderium Suae Maiestatis, contra quosuis ingruentes hostes fiendae; addito hoc, quod a singulis fumis non unus, sed duo pixidarij pedites expediantur. In extrema uero necessitate uiritim insurgere teneantur omnes Status ac Ordines Regni, sub poena in praemisso Articulo specificata, ita uidelicet, ut eadem poena, pro personali non comparitione Dominorum Magnatum et Nobilium Regni, non a personis, sed a fumis singulis, a Magnatibus quidem pro singulis diebus a singulis fumis per decem florenos hungaricales, a Nobilibus autem, a singulis fumis per tres florenos hungaricales, modo in praedicto Articulo declarato extorqueatur. Pro pixidario autem pedite et equite non comparente, singulis diebus pro singulo unius floreni mulcta accipiat. Quicunque autem Armales Nobiles non comparuerint, hoc ipso facto Nobilitarem praerogatiuam amittant.

Liberae Ciuitates pariformiter, iuxta antiquum earundem modum et consuetudinem exercituare tenebuntur.

Interea autem temporis, ad defensionem Confiniorum Colapianorum relinquitur, prout antea, Dominus Comes Wolfgangus Erdeödy, cum Vicebano Regni, quibus adduntur bona Castrorum Selin et Nouigrad, cum uniuersis bonis, ultra Colapim existentibus, hactenus non dicatis, nec non bonis Castri Zizek.

Deinde quicunque Dicam Regiam seu Contributionem Regni hactenus impositam non persoluerint usque festum Exaltationis Sanctae Crucis proxime venturum, extunc statim, elapso praemisso Termino, in poena dupli couicti sint et habeantur.

Statuitur etiam, ut Exactores Dacij Regni, sequenti die post praemissum festum Exaltationis Sanctae Crucis, coram Reuerendo Praeposito Zagrabiensi, et Petro Gall, Exactore, ac Gregorio Jagatych compareant, et rationem de perceptis reddant; alioquin iidem Exactores conuincantur ipso facto. In futuros praefectos autem Dacij eiusdem Regni sufficiuntur, in Comitatu Varasdiensi quidem Moyses Zaboky, in Zagrabiensi autem Laurentius Drenoczy.

Destinantur ad Jellekocz quinquaginta pedites Colapiani, pro persequendis malefactoribus, quorum Vayuoda dependentiam post Dominum Banum habebit a Domino Gregorio Petheö.

Denique renouatur Articulus de Commissarijs Regni, ad resignationem Vallacorum destinatis, et loco defuncti Domini Joannis Kegleuich Dominus Georgius Kegleuich deputatur.

Ad lamentabilem Querelam Egregiorum Petri et Fabiani Polchych, ratione depraedationis domus Nobilitaris eorundem, Statutum est: vt Egregij Gregorius Petheö cum Stephano Gereczy, tam dominis terrestribus, quam Officialibus nominandorum praedonum, et iisdem etiam, qui eorundem intertentores et fautores, uel depraedatarum rerum perceptores et occultatores fuissent, peremptorium terminum praefigant, et comperta mera rei ueritate, reos pro demeritis iuridice puniant; Damnificatis autem, in quantum fieri poterit, satisfactionem impendant.